

SACRA ROMANA ROTA

Nullitatis Matrimonii

(ob simulationem totalem vel partialem et ob baptismum simulatum)

(Coram R. P. D. JOSEPHO M. PINTO)

Sententia definitiva diei 28 junii 1971.

I.—SPECIES FACTI

1) I., Mexicano viro desideranti epistolarem communicationem cum Mexicana puella instituere, litterae pervenerunt a M. conscriptae. Ille, qui unum et tricesimum aetatis annum expleverat, V. in v. I. A. D. B., oeconomicis negotiis incumberebat; haec vero erat optima puella 23 annorum M. cum genitoribus degens.

Permutatis per octo circiter menses frequentibus litteris, quibus photographica imago uniuscuiusque accessit, mente octobri 1960 exeunte, I. M. petiit M. praesentem cogniturus. Cum vero, prout videbatur, illi sibi invicem placuissent, hebdomada nondum transacta, jam ad nuptias volebant con-volare.

Obstitit tamen mulieris pater, quod contrahentes ad invicem adhuc non se sufficienter cognoscerent, illorumque sponsalia admisit tantummodo. Nec ab oppositione cessavit usque dum I. agendi ratione satisfaciens notitias valuit obtinere.

Baptizato I. in Paschali vigilia 1961, nondum enim regenerationis lavacrum ipsi collatum fuerat, quod in indifferentia religiosa ipse adoleverat, nuptiae in facie Ecclesiae die 3 junii 1961 M. celebratae sunt.

Nuptiali itinere breviter peracto, in quo matrimonium consummatum fuit, insperato maritus V. rediit, uxore apud hius genitores relicta, promittens se quamprimum ipsam secum allaturum. Promissam pecuniam ad faciendum iter cum uxor frustra exspectaret, suo sumptu V. marito se iunxit. At non-dum mense transacto, praetextu longi itineris, maritus illam ad ipsius geni-tores iterum misit eadem noviter recepturus statim ac reversus fuisset. Sed nec iter fecit, nec uxorem vocavit, nec ipsi volenti ad maritum redire hic id permisit. Immo die 29 septembris 1961 maritus consorti litteras mittebat dicens se nupsisse cum jam nuptias procrastinare volebat; sufficientem concordiam inter coniuges haud exstitisse; quapropter melius esset ut M. cum genitoribus maneret quam vitam infelicem cum marito ducere. Nulla proles habita fuit.

2) M. a civili iudice divortium petiit; deinde vero apud Archiepiscopale Tribunal M., die 24 decembris 1962 suum matrimonium nullitatis accusavit ex capite simulationis consensus viri, tum totalis tum partialis ob exclusum bonum prolis. Sententia tamen primae instantiae diei 2 aprilis 1966 votis actricis fuit contraria.

Applante actrice ad N. S. T., nova capita exclusionis bonorum fidei ac sacramenti necnon impedimenti disparitatis cultus, omnia ex parte viri, legitime addita fuerunt ut tanquam in prima instantia pertractarentur. Peracta insuper fuit suppletiva instructio.

Nobis hodie respondendum est dubio sic concordato: "*An constet de nullitate matrimonii, in casu*".

II.—IN JURE

3) Invalide nubit ad normam can. 1086, par. 2 qui matrimonialem consensum simulat.

Totaliter simulat qui dum exterius serio manifestat se nubere vellet, actu positivo voluntatis excludit matrimonium ipsum eo quod non habeat animum illud contrahendi (Cfr. c. 26, X, De sponsal. et matrim., IV, 1; D'Annibale, Summula Th. M., Pars II, 1896, n. 412; Gasparri, De Matrimonio, vol. II, 1932, n. 815-824).

Partialiter vero simulat qui matrimonium contrahere volens, non vult tradere alteri parti jus in corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (Bonum prolis), aut non vult ut praedictum jus sit exclusivum (Bonum fidei), aut ut sit perpetuum (Bonum sacramenti). Cfr. Gasparri, o. c., n. 825-826.

Igitur, qui totaliter simulat omnia officia coniugalia excludit; qui partialiter, tantummodo quae respiciunt matrimonii bona, salvis manentibus quae ad mutuam adiutorium et remedium concupiscentiae unice ordinantur. At de facto, exclusis essentialibus, nec ipsum matrimonium, quamvis velit, contrahit.

Qui tria bona matrimonii simul excludit non totalem sed partialem simulationem patrat.

Ita plus minusve totalem simulationem a partiali distinguunt G. Payen, De Matrimonio, vol. II, 1936, n. 1669 ss.; Eichmann-Mörsdorf, Kirchenrecht, II Band, 1950, S. 217-218; O. Giacchi, Il Consenso nel matrimonio canonico, 1968. Alii distinctionem aliter intelligunt, uti Roberti, Consultationes I. C., vol. I, 1934, pag. 258-259. Ultra progreditur Cappello divisionem hanc impugnans, De Matrimonio, 1961, n. 593.

4) Ad simulationis probationem quod attinet, prae oculis habeantur sequentia principia:

"Animus ab operibus operantis dignoscitur, et talis praesumitur qualem facta demonstrant... Nam licet ex verbis bene dignoscatur animus et inten-

tio hominis... facta tamen sunt fortiora ad demonstrandum huiusmodi animum quam verba”.

“Animus hominis qualis fuerit dignoscitur ex iis quae antea vel post gesta fuerunt... Animus qualis fuerit in praecedenti, ex subsequenti actu declaratur... Ex actu immediate et incontinenti facto colligitur animus ab initio” (Barbosa, *Tractatus varii. I De axiomatibus juris, Axioma XXVII*).

Quapropter, qui suo agendi modo indubie ostendit se matrimonium contraxisse ad experimentum, sive quia nubere debet cum de exitu coniugii incertus est, sive quia matrimonium pro libitu solubile habet, sufficienter demonstrat se bonum sacramenti exclusivisse, quin obstet quod eius confessio parvam mereatur fidem.

III.—IN FACTO

5) Haud recte in prima instantia dubium concordatum fuit sub formula: “An constet de nullitate matrimonii in casu ex capite defectus consensus viri”.

Nam, uti ait Em.mus Roberti, “Defectus autem consensus nimis lata dicendi ratio apparet; eadem enim, si absolute accipiatur, quodlibet vitium consensus comprehendere potest, quin tamen practice uno processu soleant omnia considerari; sin vero stricte intelligatur audire potest simulationem aut metum aut errorem in substantia aut in corpore etc. Multo magis igitur expedit ut defectus consensus in determinanda actione proposita evitetur, et genus proximum vitii quo consensus laborat exponatur” (Apollinaris, 1933, p. 106; *Consultationes I. C.*, vol. I, p. 259).

Actricis libello perpenso nullitas consideranda erat ex capite simulationis consensus ex parte viri, tum totalis, tum partialis ob tria matrimonii bona xclusa.

a) *De simulatione totali.*

6) De simulatione totali consensus ex parte conventi non constat, in casu.

Deficit imprimis ipsius confessio. Fatetur ille quidem se actricem minime amasse et, imminentibus nuptiis, eas procrastinare voluisse, ut possent ad invicem sese cognoscere. Nemo tamen illum audivit dicentem se in nubendo matrimonialem contractum exclusurum esse aut exclusivisse. E contra, coram iudice conventus admisit se acceptasse factum hoc: Duce partes erant “uniti in matrimonio”. Quod ipse addat verba: “come situazione sociale, si é considerato sposati quando si passa attraverso una simile cerimonia”, simulationem minime implicat, cum sit remissio ad ea quae occurrere solent. Matrimonium consummatum fuit et, si proles vitabatur, conventus fatetur exclusionem non fuisse nec absolutam nec perpetuam. Et addit: “Vivemmo in comune circa un mese e mezzo, complessivamente”. “Avemmo relazioni coniugali circa quattro o cinque volte alla settimana”. Quaedam ergo iura et officia coniugalia, iuxta suas erroneas ideas, admisit.

Verum est actricis patrem haec affirmasse: "Egli (il convenuto) non accettò gli obblighi del matrimonio". Cui consentit eius uxor. Sed haec est deductio facta ab illis ex modo agendi conventi, quae non destruit supra dicta.

Aliorum testium affirmationes de defectu sinceritatis ex parte conventi qui actricem decepit sunt valde generalia ut in sensu simulationis totalis accipi possint.

Quodsi ipse conventi frater dicat: "Io mi azzardo pensare che tutto ciò che riguarda il suo matrimonio fu una finzione", ipse tamen addit: "Però non vorrei esternare un giudizio definitivo sul conto". Agitur ergo de mera probabilitate.

Tandem, causa simulandi quae invenitur in actis, ut videbitur, exclusionem boni sacramenti optime explicat; ad explicandam totalem simulationem non vero sufficit. Ex bono sacramenti excluso cuncta patent.

b) *De simulatione partiali ob exclusum bonum prolis.*

7) Nec constat de matrimonii nullitate ob bonum prolis exclusum.

Utique, uti ait actrix quae "é incapace di giurare il falso", "la prima notte, a C., il suo comportamento (del convenuto) fu brutale; lo stesso avvenne ad A. Però rispetto all'atto matrimoniale stesso si ebbe vera consumazione". "Ci fermammo una notte qui a M. e già da quella notte il suo comportamento fu anormale, poi negli Stati Uniti agì sfrontatamente e continuò nella stessa maniera".

Ipse conventus admittit prolem quasi semper vitatam fuisse. Et cum interrogaretur a iudice cur in vagina aliquando ei aculasset, respondit: "Non ci pensai, in quelle poche occasioni, se resterà incinta o meno". Atque declarat insuper: "Durante la luna di miele io non ero sicuro che M. ed io fossimo sessualmente compatibili e d'accordo. Ecco perché io preferivo che non concepisse". "Io intendevo avere dei bambini più tardi, quando saremmo stati più adatti l'un per l'altro".

His inspectis prolis exclusio non erat perpetua et absoluta. Quo in casu praesumptio stat pro matrimonii abusu, non vero pro exclusione ipsius juris ad actus vere coniugales.

Verum est conventum nullam mereri fidem, prouti dicitur in actis. At in ipsis actis apparet eundem, actrice relicta, aliam duxisse uxorem cum qua divortium fecit, prole ab ipsa antea recepta. Cur cum actrice prolem perpetuo exclusisset?

c) *De simulatione partiali ob exclusum bonum fidei.*

8) Conventum per longum tempus ante matrimonium illicitas relationes fovisse cum quadam muliere nigri coloris et ad eundem post nuptias rediisse certissime constat ex depositionibus X., conventi fratris, et testis S. F. V. certissime constat. Quare credendum non est convento dicenti: "Non sono mai stato infedele a M.".

Non constat tamen conventum, positivo voluntatis actu, exclusisse obligationem fidelitatis servandae.

E contra X. frater animadvertit: "Ebbi l'impressione che quando iniziò la relazione con M. aveva già lasciato B.; però, dopo il matrimonio, ritornò a vedersi con lei". Mater vero actricis haec ita complet: "I. l'aveva mandata a Mexico (l'amante negra) quando M. andò a W.". Hoc non fecit conventus ad pacem familiarem servandam, nam ex modo quo uxorem V. habebat nihil poterat timere. Ad concubinam ergo rediit cum matrimonium naufragavit.

Praesumendum est ergo conventum tantummodo noluisse adimplere obligationem susceptam.

d) *De simulatione partiali ob exclusum bonum sacramenti.*

9) Se in nubendo bonum sacramenti exclusisse conventus admisit, prout apparet in relatione Rev.mi V. Officialis Tribunalis M., ubi legitur: "Disse... Che egli non considerava né mai ha considerato che il matrimonio produca un vincolo che in se stesso ed in forma assoluta sia indissolubile per tutta la vita. Che ogni cosa nel matrimonio é condizionata alla stabilità dello amore che i coniugi hanno l'uno verso l'altro ed al mutuo intendersi ed essere uniti tra di loro... Che egli contrasse matrimonio a queste condizioni con M. e che prese questa decisione a causa della pressione morale che gli produsse il fatto di trovare tutti i preparativi ormai molto avanzati. Arrivò un momento in cui egli non voleva sposarsi ma gli mancò il coraggio di dirlo esplicitamente. Allora prese la decisione di portare a compimento la cerimonia pensando che nel caso in cui non arrivasse ad andare d'accordo avrebbe divorziato da lei e nel frattempo avrebbe cercato di evitare di avere figli".

Contra hanc confessionem sequentia militant: Conventi veracitas sic v. gr. negatur in actis: "Aveva dei modi molto insinceri in ogni cosa. Nessuno gli credeva e si fidava di lui". "Egli é un impenitente bugiardo". Hac vice conventus iudicalem depositionem reddere renuit, omnino simplex cum iudice colloquium admittens tantummodo. In hoc vero tam paratus se praebuit actrici favendae ut diceret: "che questo Tribunale scriva ciò che creda più conveniente per venire in aiuto a M.". Potuit ergo in hac confessione mentiri.

10) Attamen conventum revera bonum sacramenti in nubendo exclusisse ex sequentibus moraliter constat.

1.º Mentis habitus "divorzistico" de quo conventus loquitur bene congruit cum iis quae in actis leguntur tum de eius ideis, tum de eius agendi ratione. "In quanto alla sua mentalità religiosa so che è completamente indifferente". "Tanto lui quanto la sua famiglia vivono completamente senza preoccuparsi della religione". (S. F. V.). "I. non aveva una minima idea di ciò che fosse il matrimonio" (M. R.). "Ho saputo che si è risposato, che ha avuto un figlio del secondo matrimonio, ha abbandonato la donna e sento dire che si sta per risposare ancora, se già non ha contratto un altro matrimonio" (Actricis pater). "Attualmente è divorziato è scapolo, perchè ha spo-

sato civilmente con una dell'Honduras e poi ha divorziato da lei" (*Actricis mater*).

2.º *Post menses octo communicationis epistularis conventus M. petiit actricem visurus. En quae ipsi dixit postquam per paucos dies cum illa fuit: ("Mihi dixit, ait actrix) che veramente era innamorato di me attraverso le mie lettere è che, venendo à conoscermi personalmente, si era ancora più ravvivato questo sentimento". "Mi propose immediatamente il matrimonio perchè si considerava è desiderava la compagnia di una donna giovane, di buoni costumi, di famiglia decente è diceva che io corrispondevo à tutte le sue aspirazioni". Cum vero non potuisset statim contrahere nuptias, quod actricis pater illis obstaret, "mi chiedeva con insistenza è frequentemente che io insistessi presso i miei genitori affinchè le nozze si facessero nei primi giorni del 1961".*

Huiusmodi insistencia matrimonium statim contrahendi, quin mutua cognitio necessaria adhuc intercesserit, in viro qui revera minime amat et sponte omnino nubit, vix intelligitur nisi admittatur, ipsum tantummodo ad experimentum nubere, concorditer cum ideis quas de matrimonio habet.

Affirmat conventus se tantummodo percepisse mutuam cognitionem deficere cum ad nubendum venit et non poterat jam nuptias vitare. Incredibile tamen est ipsum solum non videre quod omnes videbant. Omnia suadent illum ab initio simulare voluisse ad experimentum nubendo. Hoc tamen ille confiteri non poterat. De facto omnes putabant verum matrimonium contrahere voluisse usque dum M. rediit, itinere nuptiali finito.

3.º *Consummato matrimonio, conventus prolem vitavit quod primum vellet certiore se reddere num inter coniuges plena congruentia vigeret sive mentalis sive sexualis.*

4.º *"Al ritorno dal viaggio di nozze, ait actricis mater, notai I. complementamente mutato: era un altro uomo, freddo, silenzioso".*

M. reversus conventus, qui adhuc ibi remanere poterat, V. petiit, relicta apud actricis genitores uxore, falso praetextu adducto.

Cum promissam pecuniam ad iter faciendum actrix haud reciperet propriis sumptibus id facere debuit ad conviventiam instaurandam. V. conventus actricem detinebat solivagam, nec ipsam ut uxorem exhibebat, dum cum amatrice quam ante nuptias coluerat incedebant tamquam amantes.

Nondum mense transcurso conventus actricem M. missit ut apud genitores maneret dum e longo itinere ipse redibat illam secum sumpturus. At nec iter fecit nec uxori volenti V. regredi id maritus permisit.

Litteris vero diei 29 septembris 1961 conventus actrici dicebat se nupsisse cum jam id nolebat, quod mutua cognitio requisita adhuc desideraretur. Ad quia actrix numquam sola fuerat ille non est ausus ipsi pandere suum animum "che era quello di annullare i preparativi per il matrimonio dato che sarebbe stato preferibile che ci fossimo trattati è conosciuti più tempo prima". Insuper jam omnia parata erant. Deinde addebat: "Non è esistito

quel sufficiente accordo reciproco per poter coltivare un interesse comune, anzi il contrario, e noi ci rispettiamo ma non ci amiamo". "E' preferibile che tu continui a vivere con le persone che tu ami piuttosto che venire in un paese estraneo dove non troverai l'affetto nè la felicità familiare alla quale sei abituata ed anzi troverai molti problemi, dispiaceri e talvolta delle delusioni". "Ti prego di volermi scusare e di volermi informare riguardo alla documentazione legale richiesta in questi casi".

Haec omnia demonstrant claram intentionem conventi imponendi matrimonium finem, transactis tantummodo dies octo vitae coniugalis.

5.º Unicum motivum a convento adductum pro coniugio dissolvendo est quia "Non è esistito quel sufficiente accordo reciproco per poter coltivare un interesse comune". "Non vi era accordo fra noi due, nessuna compatibilità. Lei non poteva adattarsi al modo di vivere americano".

Facta ergo demonstrant conventum nupsisse ad experimentum, cum intentione scilicet solvendi matrimoniale vinculum proposito non assecuto, quod quidem ille comprobatum habuit itinere nuptiali finito. Nam cum haec statim post nuptias contractas obtigerint, animum conventi in contrahendo demonstrant.

Jam vero "eiusmodi autem prava intentio, qua explicitè denegatur jus comparti tradere in perpetuum, optime cognoscitur si matrimonium initur ad experimentum" (Coram Wynen, 11 junii 1942: Decisiones, pag. 497).

11) *Causa nubendi* ita exprimitur a convento: "Volevo sposare qualcuna del mio stesso livello sociale, che abbia le mie stesse usanze e mentalità".

Causa vero simulandi haec fuit: Conventus in indifferentia religiosa educatus, in Statibus Foederatis commorans, pravis moribus ac dolosa indole praeditus, cum teneret matrimonium haud esse indissolubile tantumque durare quantum amor et mutua concordia, uxorem duxit quasi incognitam ut tentaret num sibi placeret.

12) Non obstat quod, die quo actrici matrimonium proposuit, illa animadvertente "chè il matrimonio religioso era per sempre; egli accettò", nam tunc jam simulabat. Etiam tunc "disse che egli pure credeva nella religione e che benchè non fosse battezzato si considerava cattolico". Contracto autem matrimonio actrici dixit "che della religione non gliene importava niente". Quod quidem testes confirmant.

Soluta de facto matrimonio a convento, non obstat quod actrix, ecclesiastica obtenta licentia, civile divortium petierit, neque obstant conamina viri ad hoc impediendum unico scopo oeconomicas consequentias sibi molestas vitandi.

IV.—IN JURE

13) "Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa" (can. 1070, par. 1).

Persona non baptizata est etiam quae invalide baptismum recepit (Cfr. Coram Rogers, 9 nov. 1968).

“Explorata res est tres in adulto requiri dispositiones ad Baptismum rite suscipiendum: fidem nempe, poenitentiam et intentionem illum percipiendi... Fides et poenitentia in adulto requiruntur, ut licite sacramentum suscipiat, et fructum sacramenti consequatur; intentio vero necessaria est ad illud valide consequendum, adeo ut qui baptizatur adultus sine fide ac poenitentia, illicite quidem at valide baptizatur; et contra qui baptizatur absque voluntate sacramentum suscipiendi, nec licite nec valide baptizatur” (S. Congr. S. Officii, Instr. ad Vic. Ap. Tche-Kiang, 1 aug. 1860: C. I. C. Fontes, vol. IV, N. 963, p. 236).

Voluntas suscipiendi sacramentum requiritur quia, sicut adultus sine proprio consensu non iustificatur, ita, sine eiusdem consensu nec sacramentum recipit quod est iustificationis initium. Cfr. S. Thomas, Summ. Th. 3, q. 68, a. 7.

Requiritur vero intentio positiva quin neutra sufficiat, illius scilicet qui nec dissentit, nec consentit. (Cfr. Benedictus XIV, Ep. Postremo mense, 28 febr. 1747: C. I. C. Fontes, vol. II, N. 377, par. 48).

14) Non vero requiritur recta fides baptizandi ut character imprimatur quia “etiam non habens rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi: et ita non impeditur quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio qua intendit suscipere baptismum sicut Christus instituit, et sicut Ecclesia tradit” (Summ. Th. 3, q. 68, a. 8, ad 3m.).

Aliqua tamen fides requiritur, non per se sed per accidens, ad hoc scilicet ut subiectum possit habere intentionem baptismi suscipiendi. S. Augustinus scripsit: “Nequaquam dubitare habere baptismum eos, qui ubicumque et a quibuscumque illud verbis evangelicis consecratum sine sua simulatione et cum fide accepissent, quamquam iis ad salutem spiritualem non prodesset, si caritate caruissent, qua catholicae insererentur ecclesiae” (De Baptismo, L. 7, 53, 102: Rouet de Journal, Enchir. Patr., N. 1639).

Qui vero nullam fidem habet, qui sacramentum negat ut inanem ritum illud tenens, incapax est sacramentum volendi. Nam, ut ait S. Thomas, “appetibile non movet appetitum nisi in quantum est apprehensum” (Summ. Th. 1, q. 80, a. 2, ad 1m.). Quodsi ille, tantummodo ut ad nubendum admittatur, nudam coereoniam vult, minime dice valet intendere illum suscipere baptismum sicut Christus instituit, et sicut tradit Ecclesia. Christus enim non inanem ritum instituit sed signum efficax spiritualis regenerationis.

Iuxta communem theologorum sententiam, in adulto requiritur intentio ex parte obiecti interna, quae scilicet feratur non in ritum mere externum, sed aliquo modo etiam in ritus sacramentalitatem; vel quia sacramentalitatem hanc explicite agnoscit, vel quia saltem implicite illam vult, v. gr. eo quod

suscipere vult id quod christiani secundum suam religionem suscipere solent (Cfr. Lercher-Dander, *Institutiones Theol. Dogm.*, vol. IV, 2, 1948, n. 118 ss.).

15) Quidam, ut Em.mus Gasparri (De Sacra Ordin., I, n. 641 ss.) tenent valere baptismum, confirmationem et ordinationem eius qui simulate seu fecte haec sacramenta recipit, quatenus corde dissentit dum ore vel ipso accessu sacramentum postulat. At rationes ab illis allegatae rem non demonstrant. Etenim:

1.º Si Innocentius III declaravit: "Is, qui fecte ad baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum" (C. 3, X, de baptismo et eius effectu, III, 42), fictio illa non est intelligenda de fictione intentionis sed de fictione contritionis, iuxta modum loquendi tunc usitatum (Cfr. Glossa ord. ad c. 35, C. I, q. 1; Hostiensis, *Summa Aurea*, Lib. III, tit. 42, n. 15; S. Thomas, *Summ. Th.* 3, q. 69, a. 9). Res clare patet ex his verbis Innocentii IV: "Quid, si baptizatus petiit baptismum, sed baptizari non intendebat, nec aliquid per baptismum conferri? Et videtur quod non sit baptizatus, quia numquam consensit baptizari" (In *Quinque Libros Decretalium Commentaria*, Lib. III, tit. 42, c. 1, n. 10). Sunt tamen qui Innocentii III mentem nondum claram retineant.

2.º Voluntas excludendi sacramentum non eliditur voluntate ritum suscipiendi, nam licet sacrum ritum ipsi detur, tamquam non sacrum a simulante recipitur quod quidem ad sacramentum non sufficit.

Ideo communior sententia tenet praedicta sacramenta ita simulate recepta invalida esse. Sufficiat allegare sequentes:

WERNZ-VIDAL: "Indubitata est nullitas ordinationis, ad quam quis vultu ac oculis et toto corpore ad modestiam composito, voluntate tamen alienissima sive fecte et simulate accedat" (*Jus Canonicum*, tom. IV, 1934, n. 207).

CONTE A CORONATA: "Opinionem quam Gasparri, l. c., veriolem putat, vix probabilem habemus et in praxi omnino respuendam putamus" (De *Sacramentis*, vol. II, 1945, pag. 80, nota 2).

F. REGATILLO: "Non sufficit admissio mere externa ritus sacramentalis, cum dissensu interno quoad susceptionem sacramenti, i.e. fecta sacramenti susceptio, iuxta communem sententiam" (*Theologia Moralis Summa*, B. A. C., III, 1954, n. 28. Cfr. *Ius Sacramentarium*, 1949, n. 902, ubi hanc sententiam "certam" dicit).

Similiter F. CAPPELLO, De *Sacramentis* IV, 1947, n. 361; I. FUCHS, De *Sacramentis* in genere, de baptismo etc., 1963, p. 32, et alii.

16) "Pro baptismo certe sufficit intentio habitualis implicita, quae continetur in voluntate suscipiendi christianam religionem" (F. CAPPELLO, De *Sacramentis*, I, 1962, n. 74). Non ergo requiritur intentio explicita.

Card. LUGO ad rem haec docet: "Valeret baptismus, si aliquis religionem christianam corde amplexus esset, licet nihil de baptismo aut eius necessitate audisset; hic licet morbo oppressus, sensibus destitueretur, baptizaretur valide, quia voluit absolute hanc religionem amplecti, eiusque ritibus, qui-

cumque essent, gubernari" (De Sacramentis in Genere, disp. 9, sect. 7, n. 130). Cfr. A. VERMEERSCH, *Periodica*, 1929, p. 123 ss.

Baptismus tamen non valeret si ageretur de adulto conscio qui christianam religionem tantummodo ex parte acceptat, baptismum tanquam ritum inanem pertinaciter negans. Nam licet ritui applicato non dissentiat, hoc non sufficit. Consensus positivus circa sacramentum ad valorem requiritur.

Cfr. quoad jurisprudentiam N. S. T., coram Wynen, 16 februarii 1952; coram Staffa, 22 decembris 1954; coram Filipiak, 29 aprilis 1960; coram Fagiolo, 22 novembris 1968. Et quoad doctrinam G. RAMBALDI, *L'oggetto dell'intenzione sacramentale nei Teologi dei secoli XVI et XVII*, 1944; L. V. VANYO, *Requisites of intention in the reception of the sacraments*, 1965.

V.—IN FACTO

17) Ex verbis conventi deducitur illum, qui religionem profitebatur nullam, baptismum nondum receptum solummodo recepisse quia ad matrimonium requirebatur, minime tamen intendens christianae societati se aggregari, nam illud ut inanem ritum habet.

En ipsius verba: "Io sentivo che questa era una condizione per il mio matrimonio". "Io lo feci come un passo verso il matrimonio con M. Io non credo che il battesimo cambi una persona".

Interrogatus "Quando lei si sottopose alla cerimonia del battesimo comprendeva lei cosa significava questa cerimonia per la Chiesa?", respondit: "No". Iterum interrogatus: "Dopo essere stato battezzato si considerava lei di essere un cattolico", respondit: "No". Iudici insistenti: "Quando lei si sottopose alla cerimonia del battesimo negò lei nella sua mente ciò che la Chiesa ed il sacerdote intendeva fosse fatto in lei?", respondit: "No. Io semplicemente non credevo nella cerimonia. Non aveva alcun significato per me. Io non ero sincero nel ricevere i Sacramenti e diventando un cattolico perchè non accettai tutto ciò che la Chiesa Cattolica insegna".

Tunc ille nemini manifestavit se ita de baptismo sentire. At taliter agebat ut patrinus baptismi, M. R., haec declaraverit: "Il giorno che venne battezzato anche una giovane è attraente ragazza venne battezzata. Subito dopo la cerimonia mi disse che si era sottoposto alla cerimonia perchè gli piaceva la signorina. Era talmente ovvio che non era sincero che mi sentii colpevole di essere il suo padrino. Dopo la cerimonia, quando arrivammo à casa, mia moglie disse che le sembrava di vedere una mostra".

His prae oculis habitis jam dubitare possumus num ille serio baptismum receperit.

Omnes testes concordant in eo quod conventi conversio haud fuit sincera; practice nullam religionem habet.

18) Verum est conventum in depositione sua declarasse se catholicum esse, immo, verba haec addidisse: "Io, probabilmente, mi sarei convertito alla religione cattolica un pò più tardi di mia stessa iniziativa, spontanea-

metne (non ergo matrimonii intuitu). Anche adesso io desidero di seguire la religione cattolica e spero di sposare una cattolica se si potrà fare qualcosa di questo mio caso. Questa non è una condizione, perchè un giorno o l'altro potrei innamorarmi di una non cattolica ed in questo caso la sposerei. Ma io preferisco qualcuna della mia stessa credenza è la religione cattolica è la unica che io conosca”.

Non ergo aversus a catholica religione ille se praebet. Potius pronus est ad illam.

Attamen, interrogatus a iudice: “E' lei o non è lei un cattolico?”, respondit: “Io lo sono per me stesso. Per lei probabilmente non sono un cattolico. Io rispettai la Chiesa Cattolica all'epoca che divenni cattolico, ma l'accettai con delle riserve”.

Inter ea vero quae expresse exclusit invenitur illud renasci ex aqua et Spiritu Sancto. Nam, non obstante preparatione recepta, ritui baptismali ullam efficaciam nec tunc tribuebat nec adhuc tribuit. Inde ante baptismum receptum jam se catholicum habebat. Et postea, cum a iudice interrogaretur “poichè lei dice che era insincero quando venne battezzato, ha lei la sensazione di essere stato talmente e così completamente insincero che dovrebbe venir battezzato nuovamente per diventare vero cattolico?”, respondit: “No”.

Talibus in adiunctis praesumi non potest conventum in baptismali ritu recipiendo voluisse id quod facit Ecclesia (Cfr. G. RAMBALDI, o. c. praesertim pag. 173 ss.).

19) Cum de baptismo simulato comprobando agitur, Benedictus XIV docet simulantis jusjurandum respuendum esse “nisi hoc idem comprobent adiuncta plurima, et circumstantiae antecedentes, concomitantes, et subsequentes, et eae quidem momenti sint ineluctabilis, et inconcussi” (Ep. Postremo mense, 28 febr. 1747: C. I. C. Fontes, vol. II, N. 377, par. 50, par. 84).

In casu vero, cum conventus haud mereatur fidem, et nulli testi suam intentionem simulandi expresserit, et pauca facta referantur, tenuerunt Patres non omne prudens dubium fuisse sublatum, et inde non constare de nullitate ex hoc capite.

20) Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de Turno sententiamus proposito dubio respondentem:

AFFIRMATIVE seu constare de Nullitate Matrimonii, in casu ex capite exclusionis boni Sacramenti ex parte conventi.